Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Legenda Aurea - Cod. Aug. perg. 256

Jacobus <de Voragine>

[S.l.], [14. Jahrh.]

De sancto Lupo

urn:nbn:de:bsz:31-66161

Visual Library

autem hic in deliciis epuleris. Surge et vade in trecas civitatem ut fratrem tuum ibidem invenias. Dixit ergo famule sue: Non oportet nos hic amplius habitare. Et illa: Domina quo ibis? Ecce omnes valde te diligunt et tu peregre mori cupis. Et illa: Deus nobis providebit. Et accipiens panem ordeaceum in urbem Ravennam devenit. Veniensque ad domum cuiusdam divitis cuius filia que mortua plangebatur se ibidem a famula hospicio recipi postulabat. Que ait: Domina mea quomodo hospitari vo-lesciam? filia domine mee moriatur et omnes graviter se affligunt. Non propter me inquit morietur. Intrans ergo manum puelle apprehendit, sanam erexit. Et cum vellent eam retinere nullatenus acquievit. Cum ergo iam trecas ad miliare venisset dixit famule sue ut modicum repausaret. Et ecce vir quidam nobilis nomine Licerius de civitate veniens dixit eis: Unde estis? Cui Saviniana: Hinc sum de ista civitate. Et ille: Cur mentiris, cum loquela tua te iudicat esse peregrinam? Et illa: Vere ut peregrina sum et fratrem meum Savinianum diu perditum requiro. Qui dixit: Vir iste quem queris ante paululum pro Christo decollatus est et in tali loco sepultus. Tunc prostravit se in oratione ait: Domine qui me semper in castitate servasti non permittas me amplius duris itineribus fatigari nec corpus meum de loco isto ultimus moveri. Commendo tibi famulam meam que propter me tanta sustinuit. Fratremque meum quem hic videre non potui fac ut in regno tuo videre merear. Finita oratione migravit ad dominum. Quod videns eius famula cepit flere, quia ad sepeliendum necessaria non habebat. Predictus autem vir per preconem per civitatem misit ut omnes ad sepeliendum mulierem peregrinam venirent. Qui venientes honorifice eam sepelierunt. Hac quoque die sit festum sancte Sabine que uxor Valentini militis cum nollet sacrificare sub Adriano imperatore decollata est.

De sancto Lupo episcopo

Lupus aput [illegible] Aurelianum ex genere regali ortus, cum cunctis virtutibus emicaret Senonensis archiepiscopus est electus. Qui cum omnia fere pauperibus erogaret et quadam die ad convivia plurimos invitasset, cum vinum ad medium non haberet. Sic dicente ministro: Credo quod deus qui volatilia pascit vinum preparet caritati. Et statim nuncius affuit quod centum vini modios ad ecclesiam pro foribus nunciavit. Cum omnes clerici vehementer detraherent quod virginem eius filiam predecessoris sui nimis et immoderate amaret, coram detrahentibus ipsam virginem apprehendens osculatus est eam dicens: Sanctis non nocent homini verba aliena quem propria non maculat consciencia. Qui enim ipsam deum amare ardenter cognoverat eam mente purissima diligebat. ¶ Cum rex francorum Lotarius Burgundiam intrasset senescalcum suum contra Senonenses direxisset ut civitatem obsideret. Sanctus Lupus ecclesiam sancti Stephani ingressus campanam pulsari fecit. Quam hostes audientes tantus terror invasit ut nisi fugerent mortem se evadere non putarent. Tandem obtento regno Burgundie cum rex alium senescalcum Senonum misisset et beatus Lupus ei cum muneribus non occurrisset indignatus nimis adeo eum apud regem infamavit ut rex beatum Lupum in exilium destinaret. Qui ibi doctrina et miraculis valde emicuit. Interea Senonica quendam episcopum qui locum sancti Lupi invaserat occiderunt ut sanctus Lupus de exilio rediret a rege impe-